ALEXANDRO SCABIA NUNC PRIMUM SACRA SOLEMNITER LITANTI HOC...

Carlo Luigi Salani



32
1 ch.

ALEXANDRO SCABIA

NUNC PRIMUM SACRA SOLEMNITER LITANTI

HOC CARMEN

CAROLI ALOYSII SALANI

IN SEMINARIO PATAVINO

EGREGII RHETORICES MAGISTRI

JOANNES BAPTISTA BOLOGNIN

CONDISCIPULUS ET AMICUS

GRATULABUNDUS

D. D. D.

7.

904

PATAVII TYP. SEMINARII MDCCCLXV.

Jo. Bapt. Bolognin cur.

B. GREGORIUS BARBADICUS

CATHOLICAM RELIGIONEM

PRÆSERTIM IN GRÆCIAM ET IN ORIENTEM INVEHERE

SUMMOPERE STUDET (1)

Pulcra quidem Euganeis surgentia munera campis
Gregorii exhilarant pectus, curasque rependunt;
At non ulla quies animo, qui maxima volvit,
Quique piis totum studiis complectitur orbem.
Usque tuo sed enim gremio miseratur ademptos,
Relligio, natos crudâve tyrannide pressos:
Sive illos recolat, quos dira obfuderit Arctos
Jampridem tenebris, seu quos terit Anglia bello,
Quosve aliis sparsos deplorat Hibernia terris.

Sæpius ille Deo supplex gemitusque precesque
Integrat, atque optat rebus succurrere egenis:
Tum felix, si quem, patriis e finibus actum,
Hospitio foveat, pressetque ad pectora, et ægri
Fletibus ipse suas lacrymas commisceat æger.
Sed cor Gregorii stimulis gravioribus urget
Quæ grajas syriasque premit sors effera gentes.
Turcica nam feritas, nullis satiata tropæis,
Christiadûm quacumque ardet restinguere nomen,
Sævior inque dies uberrima regna cruentat
Cædibus innumeris, veterique cupidine flagrans
Impatiensque inhiat reliquis atque imminet oris.
Quæ pius assiduâ Pastor quum mente volutet:

« O patria, exclamat, maris o fortissima quondam
Regina Hadriaci, quæ mille superba carinis
Rettuleris toties Orientis ab æquore palmas,
Nobisque una diu junxisti fœdere Achivos;
Cur modo flaccescunt tua circum tempora lauri?
Cur tibi dextra riget? quid nunc deferbuit ardor,
Quo tot in arma acies pro relligione ruebant,
Quo fulmen belli Zenus, quo Victor ovantum
Agmina Turcarum venetis ursere catervis?
Surgite nunc iterum, cives, revocate feroces
In nova bella animos, patriamque fidemque juvate.
Cernitis, unde prius Fidei lux alma refulsit,
Qua modo inhorrescat tetrâ caligine tellus?
Cernitis ut domitæ genti, si turpia spernat
Jura, tyrannorum stricto manus ense minetur?
Cernitis ut, grave discidium erroremque perosa,
Ad nos devinctas protendat Græcia palmas?
Vos hujus tangat fletus; vos impia forti
Frangite vincla manu, tortorum frangite tela,
Jam satis innocuo rorantia sanguine! Et ipse,
Ipse ego quam lætus, quantâ spe fervidus illuc
Appulerim, et dilecta, meis comitatus alumnis,
Arva peragrarim vestris patefacta triumphis!
Ipse tibi afflictæ quot vellem adjungere natos,
Relligio, atque novis tibi tollere finibus aras!
Turcarum tunc ipsa cohors mirata stupebit
Qua luce Hadriacûm victricia signa nitescant:
Divinis juga tunc Libani Solymæque resultent
Laudibus, atque crucem Sophiæ de turre micantem
Tunc rursus tremulis depinget Bosphorus undis.
O cives, nisi tanta animos percellit avorum

Gloria; tutandæ Fidei nisi tantus adurget
Vos amor: ecce brevi (infandum Deus obruat omen!)
Barbaricæ vada nostra gement sub pondere classis,
Diris atque manus dabit hostibus Hadria victas! »
Talia corde movens, Venetûmque Ducumque potentum
Exstimulat dictis animos. Sed fluxerat illa
Virtus, qua fremuit rubuitque ad Echinadas æquor;
Aut si posset adhuc, residum discordia Regum
Magnanimos Venetûm invidiosa retunderet ausus.
Ergone perpetuo caris prohibebitur arvis?
Nec segetis tantæ dabitur spes ulla metendæ
Gregorio? Desint equidem qui mœnia celsis
Molibus evertant, inimicaque corpora fundant;
Majores sed diva Fides progignet aletque
Heroas, generosa feris qui pectora inermes
Hostibus objectent! — Certatim has pergite ad ædes,
Queis tantus nuper Patavî decor additus urbi,
Illyricis, juvenes, venetisque huc pergite ab oris:
Hîc, duce Gregorio, varias perdiscite linguas,
Quarum ope vos Asia agnoscet, vos Græcia cives!
Ille hîc, quo fervet, vobis afflabit amorem,
Ardua conari et suprema pericla subire
Vos ille erudiet! — Jam vocibus excita Patris
En delecta manus juvenum dat vela per altum,
Jamque cruentatas lauros spe præcipit ardens.
O ut sollicitis animis prospectat euntes
Gregorius sequiturque prece! atque sibi ipse videtur
Ire comes natis, simul et per graja vagari
Littora, threiciisque simul discurrere campis,
Per Phrygiæ valles, syriasque errare per urbes;
Et nunc sopitis veteres in cordibus ignes

Eloquio excire, aut fletum abstergere dolentum,
Nunc tortorum ante ora rapi, impavideque fateri
Christiadûm nomen. — Jam nuntia fama reportat
Natorum laudes: plaudit stupefacta verendo
Roma Duci, athletasque novos hilarata salutat.
Quis tormentorum strepitus, festusque tubarum
Hadriaco interea diffunditur æquore clangor?
Quæ nostras, lætis ornata insignibus, oras
Ingreditur classis? Veneto decorata Leone
Navibus e summis fluitant vexilla per auras:
Jamque urbe occursant, vario splendore nitentes,
Et longo antevolant agiles ex ordine cymbæ,
Densique insolitæ cives spectacula pompæ
Littoribus cunctis plausu fremituque tuentur.
Ecce triumphatis Pelopis de mœnibus audax
Maurocenus adest; spoliisque potitus opimis,
Europæ soluisse metus, soluisse catenas
Grajorum gaudet. Tibi quod pernobile sertum
Exornat canos, Hadriæ Regina, capillos!
Te libertatis columen, te prædicet unam
Infandi ultricem nunc rursum Europa tyranni!
Perge, age, et optatum, quod prisca inceperat ætas,
Perfice opus! cunctas tenet hæc fiducia mentes,
His votis cuncta ora sonant. Non attamen ulli
Palma resurgentis patriæ tam clara renidet,
Quam Barbadico, nec spes movet altior ullum;
Quippe per eoas justis sibi pandier armis
Cernit iter terras, eversoque objice cernit
Fraterna Hesperiis laturos oscula Grajos,
Quos unus conjunget amor, quos una fovebit
Relligio mater. Flagranti in pectore curas

Hinc Præsul versare novas: hinc turba suorum
Ad debellatos properare frequentior agros;
Victorisque sequens tuto vestigia gressu
Colligere innumeras Patrique referre coronas. —
Fortunate nimis, Pastor, cui lumina somnus
Clauserat extremus, dum magnæ nuncia lucis
Tam rutilans grajis aurora emergeret undis!
Nec nisi sidereâ, unde omnis dolor exsulat, arce
Vidisti quæ immanis hyems diuturnaque apricis
Finibus ingruerit rursum, quibus horrida nimbis
Nox jubar exoriens prætexerit! Alta tuarum
Rore precum, permulta illis succrescere in arvis
Germina vidisti Fidei, sed atrocibus usque
Percita turbinibus: vidisti haud latius inde
Barbaricas ferri, sed non mansuescere, tigres.
O tu, quem genus in miserum flammata voluntas
Tam sæpe impulerat, nunc nunc mage fervida porge
Vota Deo! Spes quanta vide quantusque fatiget
Pectora nostra pavor! Numerat dum læta per agros
Relligio Armenios redeuntem ad pascua turbam:
Dum ripæ Euphratis, Ninivis dum rudera sacras
Christiadûm ingeminant voces: dum vallibus Hæmi
Bulgara progenies, longo experrecta sopore,
Excutit antiquam labem, divæque Parentis
Tendit in amplexum; quam late squallet et horret
Ad Libanum campus (2)! Glæbæque viæque tepescunt
Sanguine adhuc fluviique rubent, quem barbarus hausit
Drusorum mucro. Discerpta cadavera tabent
In cumulos congesta: voracibus oppida flammis
Versa jacent, profugumque errans per littora vulgus,
Matresque, imbellesque senes, tenerique puelli

Auxilium inclamant. Pietas non irrita inarsit
Hesperiorum animis; sed tot cur arma Potentum
Dissocians livor vetuit consurgere in unum
Certam ad opem? Hi sibi dum trepidant, minitatur inultus
Nunc quoque inaccesso Libani de vertice Drusus,
Detersumque agitans gladium, conamina ridet
Vindicis ambigui. Ah! nimios, dulcissime Pastor,
Tu precibus depelle metus! Non sanguine iniquam
Abstergi cupimus cædem, non funere funus:
Ast unum optamus, diris ut decidat ensis
Carnificum dextris, insontum et jura tueri
Gallam ne pigeat pubem. Nisi clara ruisset
Urbs Venetûm, socias illuc quot et ipsa phalangas
Mitteret! Interitûs haud nescia Gallia tanti,
Saltem ne renuat veneto succedere amori
In Syrios, patriæque tuæ saltem ista sepulcro
Munera ferre velit! — Redeant simul otia pacis
Mœstas in sedes, durisque coercita vinclis
Barbaries jaceat; quo mox fulgore coruscet
Circum ibi Relligio! rursus mille inclyta templis,
Hæc sibi conspiciet genibus procumbere natos,
Quos dolus abstulerat, quos presserat atra tyrannis;
Atque utinam, Pater, hoc nostro contingat in ævo,
Impleat ut Fidei tantus tua vota triumphus!

Mense Junio MDCCCLXI.

(1) Vide Ricchini, Vita B. Gregorii Barbadici, Lib. II, cap. I.

(2) Ob immanissimas Christianorum strages in Syria anno MDCCCLX a Drusis editas.



33

1ch.